Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

49 Vorträge in wörtlicher, meist eigenhändiger Wiedergabe - Cod. Karlsruhe 3420,1

Sonntag, Karl Gottlob

[Karlsruhe], 1772-1776

[Enslin, Johann Christoph]: Aetate ac ufu ad vivendirationem permultum adferri exposuit, d. 22. Juni 1776

urn:nbn:de:bsz:31-99825

Visual Library

Aetate ac usu ad vivendi rationem
permultum adferri
exposuit
J. C. Enslin, J. U. St.
d. XXII Junii. MDCCLXXVI.

2778. II 02

Oeconimia.

Exordium. Triplex omnino genus hominum ex vitae qualitate & modo poni potest. Alii enim rudes ad vitam accedunt; alii, praeceptis quidem culti, sed usu carentes; quidam vero super doctrinam usu quoque exercitati. Primi nullam prorsus sequentiae vivendi normam: medii aliquam, sed imperfectam: postremi demum consummatam.

Thema. Aetate ac usu quam plurimum ad vivendi ratione adjectus.

Pars I. Unusquisque recte victurus artam vivendi rationē maturius sibi effingat.

Pars II. Cum vero continuo vita procedente emendabitur sicque demum consummabitur.

Ad partem I. Pendet haec vitae ratio

1) ex consuetudine finis: in quo tum quid homini, tum quid sibi propositum sit, quisque cogitet. Ille generalior est finis, hic specialis & proprius.
2) ex circumspectione adminiculorum illuc ducentium
3) ex disquisitione utilium nociviarumque rerum.
4) ex intentione mentis in praecepta salubria.
5) ex comprehensione praesentium factorumque cum futuris.
6) ex praecautione animi adversus quaeque in diversa incitantium hominum conamina atque stulas artes.

Ad partem II. A) Multum hic praestat usus ac aetas.

1) Quoniam varia & multiplici consuetudine & experimentorum copia humana ingenia melius noscantur.
2) Quoniā longiori demum vitae usura vanitas, quae rebus humanis inest, volubilitas atque varietas perdiscitur.

B) His autem rebus efficitur animus
1) Ferendis hominum ingeniis habilior.
2) In rebus dubiis confirmatior.

3) Ad discrimina vitae fortior.
4) Ad inopinata paratior.
5) In secundis moderatior.
6) Adversorum patientior.
7) Futuri providentior.
8) In rebus agendis custoditior.
9) Difficilioribus quandoque & perplexibus casibus explicandis acutior
10) Ad singula denique vitae casibus partes conditionesque instructior

DIRECTOR ILLVSTRISSIME
Socii Honoratissimi!

Quodsi varietatem diversitatemq vivendi rationum hominum, eiusdem tamen generis animalium contemplamur, si diversas eorum de vera felicitate opiniones perpendimus, sane obstupescamus necesse est. Paullo accuratius autem rem inquirentes triplex eorum genus esse inveniemus. Alii enim sunt, qui plane rudes ac inculti ad vitam accedunt, hicq animalibus ratione carentibus nulla in re sunt anteponendi. Triplicem & hi habent varietatem. Quidam enim animum suum emendare ingeniumq excolere ac expolire possent, dummodo vellent. Naturae dotibus haut egent, sed vel nimium sunt socordes, ad eas sic

expoliendas, ut uti illis possent, vel boni
evadere plane nolunt, cum, fortunam virtu-
tis esse inimicam, vitio contra illam favere,
observare sibi videantur, vel alias ob caussas
virtutis voci aures suas occludunt. Sunt alii,
qui, si modo non tantum sibi laboris virtus
posceret, tramitem eius libentissime ingre-
derentur. Talium autem animique intentioni,
quia tamen virtutis studiosus haud ulla
vatione supersedere potest, sunt inimicissimi.
Alii porro inveniuntur, quibus neque est
voluntas vitam suam sibi aliisque utilem reddendi,
neque ingenii dotes, quae hanc ad rem sunt
necessaria. Ac hi animalia sunt contemtu,
irritatione delectationeque omnium, cum quibus
vitam degunt, dignissima! Animalia, caete-
ris brutis ac bestiis nulla in parte non solum

non praeferenda, sed iis vel longe postponenda. Omnes eorum actiones harum actionibus sunt simillimae. Sic ut hae, ita et ii non nisi naturae impetum sequuntur. Vorant, ut hae, potant, ut hae, dormiunt, ut hae, ac moriuntur tandem, ut hae. Unicum inter hominem istum ac bestiam discrimen hac in re consistat, ut haec, pro natura sua, sic ut agit, agere sit coacta, iste vero, qui hominis nomine maxima cum iniuria superbit, eas tantum, queis gaudet, animi dotes, quaecunque sint, excolere ac expolire iubeat natura. Sed quid longius hic commoror? Cum hoc sane hominum genere non mihi res est. Propriae eos conscientiae suae relinquo, quae iis dicat an ista, quae agunt vita felicitatem suam promovere possit nec ne. — Jam ad alterum hominum

num genus, adeo scilicet, qui praeceptis quidem culti sunt, sed usu adhuc carent, me accingo. Illi plane non sunt contemnendi. Quicunque enim salubria modo praecepta sibi elegit, quae in omnibus vitae suae casibus consulit, nec iis auctoribus suasoribusque nihil suscipit, quis non hunc vituperet? Quis non potius summis eum laudibus ornet? Nam quod usus ei deest, non ipsi culpa est attribuenda. Aetate paullo magis provectus, ad tertium se genus convertet. Tertium autem hoc genus est, quod non doctrina solum praeceptisque gaudet sed et usu est exercitatum. Quid hocce genere est nobilius, quid praeclarius, quid tandem omnium amore venerationeque dignius? Quicunque enim huic se accenset, nulla in re, nullis temporibus quicquam suscipiet, quod aliis, qui in

Deum, quae in alios, quae tandem in semet ipsum observanda sibi sunt, officiis abhorrebit. Vitiis sane omnino non caret, quis enim mortalium? Sed maculis tamen paucissimis minimisq; afficitur. Pluremis contra iisq; praeclarissimis ornatus est virtutibus. Hancq; hominem omnium esse optimum, omnium praestantissimum, neminem fore qui dubitet adeo mihi persuasum est, quam quod certissimum. Quid autem ad optimam hanc vivendi rationem consequendam opus est facto? Nulli profecto, quicunque virtutem sectaturus est, nulli is labori, nulli operae, nulli animi intentioni parcat necesse est. Aetatem tamen paullo firmatiorem usumq; omnium hominum rithe magistrum, haut parum ad id contribuere, nemo

ibit inficias. Hac de re, igitur, vestra, Auditores Spectatissimi! cum venia, plura disserere constitui. Aetate igitur, inquam, aetate ac usu quam plurimum ad vivendi rationem defertur. Sed quid nos aetas, quid usus iuvat, nisi viam, quae ad bene vivendi rationem nos perducit, novimus, nisi adminicula, quae illuc nos afferunt, nobis sunt explorata? Primo igitur, quilibet viam hancce ingressurus recteq; victurus certam sibi normam rationemq; mature effingat necesse esse demonstrabo. Tunc, vivendi hanc normam continua vita esse emendandam sicq; demum consummandam comprobabo. Unusquisq; dico, bene recteq; victurus certam vivendi rationem in tempore sibi effingat. Hacce enim si caret,

quomodo, quaeso, ad vitam accedet? Omnino sane rudis, varians semper atq vacillans nulla in re constans, eandem rem mox cupiens, moxq aversans. Consilium hodie initum crastino die est oblitus. Jamq aliud, ut iterum obliviscatur, capit, sicq perpetua vita vacillat, minimoq in casu sibi obveniente haesitat. Quicunque autem hoc vitare vitamq suam secundum certam instituere vult normam, is prae caeteris id agat, ut bonum sibi finem constituat omnesq actiones suas ita instituat, ut consequatur finem istum. Primo igitur perpendat necesse est, quae officia homini sunt implenda. Re paullo accuratius inquisita, triplex eorum genus esse perspiciet. Officia in Deum, summam

omnium rerum Conditorem, cui originem suam, vitaeq; conservationem ac tot tantaque beneficia debet, observanda esse, optime intelliget. Operam igitur studiumq; navabit, ut ea, quae maximo benefactori suo gratissima sunt, percontetur. Tunc sane, non ei esse officia iucundiora magisq; accepta, nisi quae in semet ipsum, ac quae in alios observet, inveniet. Quilibet se ipsum aliosq; amet, sanctissima eius est voluntas. In se ipsum igitur officia conferat necesse est. Quae autem sunt haec officia? Non nisi tales suscipiat actiones, quae conservationem suam tamq; intellectus, quam in primis animi sui emendationem promovent. In alios quoq; officia collocare est obstrictus. Haec eadem sunt, quae in se conferre ipsum oportet.

De vera via, quae ad felicitatem perdu-
cit, certiores eos reddat, nullamq; aliam esse,
quam hanc unam eos convincat necesse est.
Ingenium rationemq; eorum, quantum in
suis situm est viribus, ipse excolat, ani-
mum emendet, ac ad promovendam eorum
perfectionem felicitatemq;, quantum in se
est, afferat. Dein est specialis propri-
usq; finis cuilibet est propositus, in quo,
quae sibi ipsi, pro proprio rerum suarum
statu officia sunt observanda cogitet. Namq;
sit vel Princeps, vel civis, vel pater, vel
quicunque voluerit. Si princeps, qua
ratione imperio suo bene fungatur, quo-
modo populum suum non ut Tyrannus
gladio atq; armis ad obsequium cogat, nec nisi
metu obedientiam exprimat, sed tanquam

pater amorem eius clementia ac beneficiis sibi conciliat;
hac enim ratione multo magis in emendandis
civibus suis proficiet, ac si vi ad officia eos
compellat! Sin civis est, contendere eum
oportet, ut, quae princeps vel nutu solum
cupere videtur, libentissime exigat, cum
omnia, quae ille vult, ad solam ipsius fe-
licitatem spectare, optime perspiciat. Si
tandem pater est, nihil ei sit antiquius,
quam bona liberorum suorum educatio,
in qua non ad id spectet, qua ratione
aliquando rem suam augere, sed quomo-
do ea, quae ad veram felicitatem suam
acquirendam pertinent, ipsi intelligant
omnibusq ad ea consequenda viribus ela-
borent.[13] Qua vero ratione omnibus hisce
officiis satisfaciet nisi nota ei sint admi-
nicula

nicula illuc ducentia. Circumspiciat ergo necesse est, quae sint haec adminicula eaque inventa adhibeat. Plura quidem dantur, quarum non potest non expers esse. Sed saluberrimum tamen utilissimumque, ut mihi quidem videtur, id est, ut nos ipsos, utque alios noscamus. Quid enim officii praestare possumus, nisi, quae nobis aliisque maxime conducant, sciamus. Praeclarissimum igitur idemque praeclarissimum studium est, quod hominem nobis plane inlucatum in vera specie sua, cum omnibus eius virtutibus, omnibusque vitiis ob oculos ponit. Se ipsum nosse, si hoc in amplissimo dicitur intelligitur sensu omnes fere alias in se scientias, omniaque officia includit, quas homines perdiscere,

quibusque satisfacere possunt. Ad disqui-
sitionem nos adducit, Unde simus, seu
Cui nostram debemus vitam. Haec vero
ad officia, quae Supremo Numini debe-
mus, incitat. Tunc Ubi simus, seu qui
ad finem huc simus perducti? quare
ad officia, quae aliis debemus, commove-
mur; ac Demum, quicquid simus?
Inde nos ipsos, virtutes nostras macu-
lasque perdiscimus, quo facto eo facilius,
queis adhuc laboramus, vitia seponere
vitamque nostram emendare poterimus.
Optima, ut ego quidem opinor, nos ipsos
noscendi ratio est, si cum iis, qui plurimis
iisque praeclarissimis virtutibus sunt orna-
ti, paucissimis contra iisque minimis vitiis
laborant, nos comparamus. Tunc quantum

nobis adeam, qua ipsi gaudent, virtutem
consequendam desit adhuc inveniemus. –
In primis etiam hominem recte beateque
victurum disquirere oportet, quae vere
sint utilia, quae vero nocua. Alias enim
facillime mala cum bonis commiscere nec
ideo finem suum adsequi posset. In salu-
berrima quoque praecepta mentem intendat.
His enim si careb, recte beneq vivere
nulla ratione potest. Id igitur cuilibet
maximae curae cordiq sit, ut semper tu-
ta sibi eligat praecepta, quae tam sibi, quam
aliis sint utilia. Nec hoc quoq magno
sine fructu est, si ea, quae sunt atque fue-
runt cum iis, quae futura adhuc sunt,
comprehendit eaq invicem comparat. Namque

si ea, quae fiunt, cum his conveniunt, quae iam dudum sunt facta, ea quae expectanda adhuc sunt, his non esse contradictura, colligere potest quam facillime. — Ut autem res eo apertius eluceat, exemplar eam illustrabo. Quodsi ille in historia legit, eos, qui non virtute, sed dolo ac astutia celeriter in altum ascendere, maxima ex parte celeriter etiam lapsos esse, & in futuro tempore hoc esse eventurum, persuasum sibi habere potest. Inde hic ei redibit fructus, ut ne unquam nequitia sese extollere cupiat. Animum denique suum adversus quaeque in diversa incitantium hominum conamina malasque artes intendat. Ubicumque enim locorum non paucos esse virtutis eiusque cultorum inimicos

neminem fugit. Cum ipsi virtute abhorre-
ant, non ferre quoque possunt, alios eam
colere eiusque voci aures praebere apertas.
Omnes, si fieri posset, sui similes redde-
rent, cum non fugiat sese, quantum vir-
tute praediti ipsis sint anteponendi. Ab
his igitur summo studio sibi est cavendum,
cum multi inter eos inveniantur, qui, licet
virtute sint orbi, prudentia tamen gaude-
ant, qua fere non nisi ad alios corrum-
pendos utuntur. Sed qua ratione homo
omnibus officiis suis fungi, quomodo omnia
praecepta, quae ad bene beateque vivendum
opus sibi sunt, observare potest, nisi sit ae-
tate paullulum provectior, nisi usu sit
extructus. Annon artem, quam dixi, non

ita facilem, sui scilicet aliorumq; noscendo-
rum vite callebit, nisi longiori aetate usuq;
paullo ampliori omnia humanae naturae vi-
tia atque maculas notas sibi fecerit. Aeta-
tem igitur atque usum permultum hic prae-
stare, longiori demonstratione egere non pu-
to. Non enim nisi varia multiplicique con-
suetudine ac experimentorum copia humana
ingenia perdisci possunt, quantumq; inde fru-
ctum capiamus, supra iam breviter quidem,
sed tamen ita, ut maximum eius emolumen-
tum elucere inde putem, ostendi. Id quoque
contemplatione haud indignum puto, longiori
vitae usura vanitatem, quae rebus huma-
nis inest, volubilitatem varietatemq; perdisci.
Hoc enim nobis inde emolumenti evenit, ut,

cum videamus, omnem rem humanam limitibus esse circumscriptam, nec quicquam hac in rerum universitate diu posse consistere, in secundis simus moderatiores, nec nimium iis confisi abutamur illis, sed semper potius in memoriam nobis revocemus, sic ut nihil, ita & fortunam nostram non fore aeternam, ac quodam certe tempore decreturam esse labefacturamque. Tunc ea non erimus efflati, sed in omnes potius proni atque modesti. In adversis quoque erimus patientiores, certa spe delectati, non semper nobis fortunam fore invidiosam, sed cum tempore & sortem nostram mutatum iri. Omnium etiam rerum humanarum haecce varietas ad omnia, quae commutationi sunt exposita, parvi aestimandum

aliaq autem, de quorum perpetua constantia ac diuturnitate convicti sumus, eo diligentius sectanda nos commovet. – Si vero omnia, quae inde nobis eveniunt, commoda atque emolumenta referrem, dies sane me deficeret, vestraq;, Auditores Spectatissimi! abuterer patientia. Cumq; insuper supra iam paullo fuerim longior, dicendi nunc finem faciam ac non nisi perbreves addam preces, ut vitia, quae forte irrepsere, mihi condonetis eaq; ~~mihi~~ hoc in dicendi genere perparum versato indisertissimoque ignoscatis.